UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 9. Ad ampliorem Crucis gloriam, tanto illa tempore durabit, quanto gloriosum Dei regnum; quia ab vtroque Sanctorum gloria dependet & beatitudo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

commodi? *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, &c.* Medium Crux fuit ad tantam Chriſti exaltationem, & hoc ex Dauide toties repetit Eccleſia vel inuitis Iudæis, qui hanc conati ſunt ſcripturam eradere, vtpote Chriſto magis glorioſam: *Dicite in nationibus quia Dominus regnauit à ligno.* Regnum hoc per lignum obtinuit: lignum hoc principium fuit regni illius & fundamentum. Idcirco vates dixit Euangelicus: *Dabo clauem Dauid ſuper humerum eius.*

Iſa. 22. 22.

Angelus intemeratæ Virgini filij Dei conceptionem anuuntiaturus ſic de illo præfatur: *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Obtenturus erat & poſſeſſurus Regnum Dauid: ſermo non eſt de temporali, ſed ſpirituali regno nempe S. Eccleſia; regnum hoc eſt, de quo dixit: *Conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius.* Videamus autem quis illi ad hoc paraturus ſit ingreſſum? Crux hæc vocatur clauis regni familiæ Dauid. Claues inſignia ſunt Regiæ poſſeſſionis, & domus traditur ſeu Ciuitas, conſignando eius claues: dum autem Pater Crucem filio conſignat, quid aliud facit, quam claues illi tradere: his etenim ius obtinet & titulum regni huius eminentiſſimi. Vt autem hoc intelligeremus, dixit, quòd clauem hanc ſtatueret ſuper humeros eius: etenim certum eſt quod de materialibus non loquatur clauibus, ſed de Cruce: hæc namque ius Regni tradidit. Eandem ob cauſam idem dixit Propheta, de Chriſto factus eſt: *Principatus ſuper humerum eius.* Quod Tertul. a. D. Ambr. b. & D. Aug. c. eleganter de Cruce interpretantur, quam Propheta nominat Principatum eius, per eam figuram quâ cauſam ſumimus pro effectu: etenim de Cruce pendet Chriſti Principatus, vt D. Petro credimus prædicanti hoc Iudæis myſterium: *Ieſum quem vos interemiſtis ſuſpendentes in ligno. Hunc Principem & Saluatorem exaltauit Deus &c.* Nam congrediuntur: *In ligno & exaltauit Deus*: etenim hoc alterius fuit medium. Si Crux igitur ea ſit per quam ita fuit exaltatus, quid eius gratia Chriſtus efficiet? Ea eſt Chriſti conſuetudo, vt plura faciat in eius gratiam qui ſibi ſeruit, quàm ille, qui ſeruit, eius gratiâ fecerat. Chriſto famulata eſt Crux, quo tam inſignē obtineret triumphum, honorem & gloriam, qua non poſſet ampliorem. Plus autem pro illa Chriſtus facere non poterat, nec conueniens erat, vt minus faceret,

Luc. 1. 33.

I. Crux clauis eſt regni.

Pſ. 2. 6.

Iſa 9. 6

a Lib. 3. con. Mar.

b Lib. 3. de fide c. 4.

c Ser. 71. de temp.

Act. 5. 31.

II. Quæ ſit gloriæ Crucis.

quàm illam attollere & exaltare ad tantam honoris & gloriæ dignitatem, vt abſolutâ Dei potentia non poſſet ſublimius exaltari: quandoquidem ipſam ad propriam ſibi extulerit altitudinem in ratione honoris; quænam eſt obſecro celſitudo ad quam per Crucem Chriſtus aſcendit? *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium &c.* Hæc igitur eminentiſſima illi tribuitur altitudo, vt ad Crucis præſentiam *Omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* Nullum coram ea caput manet erectum, nullum coopertum, nullum obſtipum: ſed ante illam omnes incuruentur diaboli, omneſque homines inclinentur: Reges, Imperatores, omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, & omnes Angeli, Archangeli: *Omne genu cœli, ſoli & inferni*, etiam illius quæ ſibi parem non agnoſcit, & ſuper omnes eſt choros exaltata; Mariæ Virginis Deique matris eminentiſſimæ.

§. 9. *Ad ampliorem Crucis gloriam, tanto illa tempore durabit, quanto glorioſum Dei Regnum; quia ab vtroque Sanctorum gloria dependet & beatitudo.*

HOc aptiùs exponemus ſuppoſito id quod memini in D. Chryſ. me legiſſe, atque certum habeo, Crucem ſcilicet, in qua Chriſtus mortuus eſt, in cœlo ſemper eſſe duraturam. Extra controuerſiam eſt in die iudicij mundum omnino ſubuertendum & delendum vt nihil remanſurum ſit nec paruum quid nec magnum rerum quæ in eo producta notauimus. Ita [illegible] teſtem habeo D. Pet. *Adueniet dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſoluentur: terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.* q. d. Fiet totius orbis renouatio. Ceſſabunt cœlorum motus, omnia elementa per ignem purificabuntur, accendentur, & conſumentur quæcumque in illo opera produxerunt elementa, arbores, plantæ, lapides, gemmæ, ædificia &c. nihil ſupererit præter elementa, homines, cœlos, Angelos, & malos in inferno, & bonos in Paradiſo. Nihil ominus decreuit Chriſtus, vt Crux ſua ſemper ſalua perſeueret, & pari cum regno Dei tempore permaneat: illo etenim ſenſu verba interpretor Iſaiæ: *Secundum dies ligni, erunt dies populi mei.* Æqualiter perdurabunt, quomodo fiet iſtud? ſi Crux corruptibilis ſit, quomodo in æternum durabit? facile [illegible] Deo, præſertim cum illam eo loco ſtatuet, ad quem nulla poteſt accedere corruptio in cœlo nimirum Empyreo. Nec ab illo longius [illegible]

D. Hier-

D. Hier. qui hæc vatis Iſaiæ verba: *Erit Dominus nominatus in ſignum æternum quod non auferetur;* interpretatur de Cruce: nec enim ſatis eſt eam vocare *Signum æternum*, ſed inſuper ait, *Quod non auferetur.* imo potius ſemper Chriſto Domino noſtro ſuper omnes Sanctos adſtabit collateralis; quatenus ſemper principia gloriæ ſuæ & beatitudinis, nempe Chriſtum & Crucem intueantur.

Omne noſtrum bonum dependet non à Chriſto ſolo, nec de Cruce tantum, ſed à Chriſto per Crucem, & à Cruce per Chriſtum, ſicut ſalus à ſerpentibus morſorum non pendebat ex ſolo æneo ſerpente, nec à ſolo ſtipite ſed ab vtroque: hoc eſt à ſerpente erecto in ſtipite. Chriſtus ſolus nos nequaquam redimeret, aut noſtram operaretur ſalutem: cum ipſe huic propoſito conformiter dicat: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet:* Sed nec ipſa ſola Crux infundere poterat vitam, cum ipſa ſe mortis tantum & ſupplicij eſſet inſtrumentum. Remedium ſaluſque pendet ab vtroque à Chriſto in Cruce, & à Cruce cum Chriſto. Idcirco bene dixit D. Leo Papa. In Cruce poteſtas eſt crucifixi: & per Crucem virtus operatur diuina. Et ambo coniunxit Apoſ. *Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Christi, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra.* Non in Cruce ſola, ſed in Cruce Chriſti, & non in Chriſto ſolo, ſed in Chriſto crucifixo ex his noſtra pendet ſalus, vita & reſurrectio. Hinc alio conceptu ab illo quem ſupra declarauimus diuerſo, capimus quod dixit D. Ioan. quando egit de egreſſu Chriſti ex prætorio Pilati ad opus noſtræ Redemptionis: *Et baiulans ſibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum.* Voluit hoc loquendi phraſi ſignificare D. Ioan, inſtrumentum, quod ad prælium contra inimicos aſſumpſit, quo noſtram operatus eſt libertatem & redemptionem: *Baiulans ſibi Crucem.* Eo modo quo poſſumus dicere quod Samſon egreſſurus in arenam contra Philiſthæos ſibi ſumpſit. hoc eſt, velut particulare inſtrumentum mandibulam aſini: & ſicut dicimus quòd ille qui contentionem acriter diremprurus ad hoc gladium arripit: vel quod vir illuſtris aprum cernens, proſiliens eum occiſurus lanceam manu contorquet.

Atque hoc loquendi modo profundum explanat. D. Ioan myſterium ſæpius in SS. litteris repetitum: quòd ſcilicet, Chriſtus glorietur, ſolum ſe, ſuiſque tantum viribus noſtram peregiſſe redemptionem: *Torcular calcaui ſolus, de gentibus non eſt vir mecum:* nam idcirco eo tempore quo manum operi perfectè apponeret, inhibuit miniſtris, & ſatellitibus, ne quemquam ſuorum attingerent: *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Ioa. 18. Quinimo tunc Petro educente gladium & auriculam Malchi præſcindente, confeſtim eandem ſanitati reſtituit: oſtendens huic noſtræ redemptionis operi, nullum aliud impendendum fore brachium, nullum alium fundendum ſanguinem, quàm ſuum, nec arma alia, nec Petri gladium applicandum. Sola ea Crux erat, quam applicabat, & quam ſibi aſſumpſit in auxilium, vnde illa ſola armatus deſcendit in arenam: *Et ſaluabit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi.* Iſa. 63. 5. Egregius loquendi modus; ſolum brachium meum mihi ſubſidio fuit ad opus peragendum humanæ redemptionis: ipſa mea indignatio mihi ſuccurrit. Sumit ab eo metaphoram quod tibi contingit, quando ad fores domus te canis moloſſus ſuis turbat latratibus: paulatim enim in eum excandeſcis, & hæc te bilis excitat, vt nullo aduocato amico, aut adiutore robuſtiori, ſolus egrediaris, ſolus baculum arripias quem ad manum paratum inuenis; & feruente motus indignatione, quæ ea eſt, ſi Ariſtoteli credimus, quæ calcar addit vireſque brachio ſuggerit, illud mouet & adiuuat; ictu illum adeo vehementi percutias quo caput illi diffindas, aut coſtas effringas, quo domum tuam hac liberas moleſtia latratuum. Eo plane modo Chriſtus canem excepit infernalem, nobis continuò adlatrantem, noſque grauiter opprimentem: in illum enim incandeſcens ſolo Crucis prodit ſtipite armatus eum debellaturus: itaque à Chriſto per Crucem, & à Cruce per Chriſtum tota noſtrorum, Sanctorumque omnium pendet optanda felicitas.

IV. Similitudo.

Hæc Pater æternus in perſona ſummi Pontificis Eliacim de Chriſto locutus dixit apud Iſaiam: *Figam illum paxillum in loco fideli, & ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus patris eius, vaſorum diuerſa genera, omne vas paruulum, à vaſis craterarum, vſque ad omne vas muſicorum.* Iſa. 22. 24. Metaphora ſumitur ab eo quod familiare eſt in ædibus & officinis agricolarum: aſſigunt parietibus ſtipites, atque ex eis ſuſpendunt claues, aratra, raſtra, ligones, harpagines omniaque operis inſtrumenta. Statuit Pater æternus Chriſtum & clauis quaſi confixit in pariete Crucis, quam eleganter inſcribit locum fidelem, *In loco fideli*, vt nequaquam aut confringatur, aut deficiat, vnde epitethum emanauit quod Eccleſia Cruci adſcribit:

16. V. Chriſtus paxillus eſt fidelis.

Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis.

Nullum extitit lignum adeo à caſu ſecurum, nec malus nauis ita frangi neſcia, vt arbor hæc Crucis fortiſſima. Ab hoc diuino firmoque ſtipite, Chriſto in Cruce, ſuſpenduntur omnia belli inſtrumenta, vaſaque muſicorum omnigena, & maxima & minima. Duo nouimus eſſe genera Sanctorum: nonnulli ſunt pœnitentes, quos bene comparaueris agricolis qui dolore multo & labore terram arant excolunt, & rigant: alij ſunt innocentes, quos nulla vnquam peccati mortalis labes inquinauit; ſimiles hi ſunt muſicis, qui cum quiete, & conſolatione muſicam conficiunt bene temperatam, varijs virtutum exercitijs, horum & illorum inſtrumenta pendent à Chriſto ſuſpenſo in Cruce: quod lacrymæ & pœnitentiæ Magdalenæ ſint efficaces, & dolor D. Paulo continuus ſit vtilis, ſi Petri gemitus & planctus alicuius ſint meriti, ſi diſciplinæ & corporis caſtigationes Sanctorum valorem habeant: hæc omnia à Chriſto dependent in in Cruce ſuſpenſo. Et ſi in Patriarchis fides viua commendetur, ſi in Prophetis ſpes certa laudetur, ſi Apoſtoli charitate vigeant inflammata, ſi quis ſtupeat inuincibilem in Martyribus fortitudinem, ſi quem rapiat admiranda Doctorum ſapientia, ſi Virgines puritate ſplendeant: omnia dependent: & virtutem hauriunt à Chriſto in Cruce ſuſpenſo. Quod ſi Confeſſarius abſoluat, ſi Prædicator cor moueat auditoris, ſi Sacerdos conſecret, & aqua in Baptiſmo emundet, & oleum in Vnctione purificet, hæc omnia tribuas Chriſto in patibulo Crucis fixo. Si peccatores iuſtificentur, ſi iuſti gratiam obtineant, ſi beati gloriam, hæc cuncta Chriſto aſcribēda ſunt in Cruce crucifixo. Idcirco dicit Iſaias: *Suſpendent ſuper eum omnem gloriam domus patris eius.*

VI. Pœnitentes & Innocentes à Cruce dependent.

Omnis itaque cœli gloria de Chriſto dependet Crucifixo: vnde ratio poſcebat, vt in cœlo perpetuus eſſet huius principij ac gratiarum omnium gloriæque conſpectus. In eum finem erunt Chriſtus & Crux viſus beatorum perpetuum gratumque obiectum, & vtrumque adorabunt, Chriſtum ſcilicet, vt vidit D. Ioan. quem in forma agni quaſi occiſi ſeniores adorabant, coronas ſuas coram eo deponentes, & gratias illi referentes infinitas. Crucem autem venerabuntur vt inſtrumentum quo tantum illis bonum communicauit, ſic illos audio Crucem adorantes & ſalutantes: *Salue Crux ſancta, ſalue mundi gloria, vitale lignum, vitam ferens omnium. Te adorandam, te Crucem viuificam, per te redempti, dulce Decus ſæculi, ſemper laudamus ſemper tibi canimus, per lignum ſerui, per te ſumus liberi.* Hoc eſt illud ſignum exaltatum: nam per illud fuit Chriſtus exaltatus, & per Chriſtum ad ſummam gloriam fuit ipſa Crux exaltata.

VII. Crucis encomium.

§. 10. *Crucis ſignum in altum erectum. Primò: ſignificat te per ipſam debere tuam aſſequi ſalutem, ſicut per ipſam Chriſtus ſuum aſſecutus eſt regnum. Secundò: te totum eſſe Chriſti. Tertiò: ipſam eſſe contra inimicos tuos forte propugnaculum.*

ERectus fuit ſerpens æneus in ſtipite. In *ſignum.* Et exaltata eſt Chriſti Crux in *ſignum. Eleuabit ſignum in nationes.* Omnibus etenim ſeruit nationibus in quatuor, quæ ſignat D. Damaſcen. Primum eſt: ad noſtram ſalutem: nam ſi videndo Crucem intelligas illam fuiſſe per quam Chriſtus regnum obtinuit ſuamque exaltationem: tuam quoque non ſis aſſecuturus abſque cruce: quoniam potius ſtaret ſeruus ille, qui ſibi perſuaderet ſe poſſe ad altiora palatii conſcendere meliori ſcala quam Rex ſuus, & Dominus. His appoſitè ſic nobis loquitur. D. Petrus *Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius:* & hoc conformiter illi quod Deus dixit omnibus: *Dicebat ad omnes* (ſic D. Marc.) *Si quis vult poſt me venire &c. tollat Crucem.* Secundum: *eſt ſignum* (inquit D. Damaſ.) *quo ab alijs diſtinguitur, ſicut antiquitus* [illegible] Signum vt ex eo te cognoſcas, & pateſacias non eſſe tui iuris ſed Chriſti, & quidquid tuum eſt, ad Chriſtum pertinere. Iam doctrinam noſti Chriſtianam, eam igitur animo revolue. Quærimus: eſne Chriſtianus? Reſpondet: vtique, per Dei gratiam. Quid ſignificat Chriſtianum eſſe? hominem Chriſti. Quod eſt ſignum hominis Chriſtiani? S. Crux &c. quid per hanc ſignificas? Ego tibi hoc declarabo. Tibi domum comparas, quæ erat alterius, per emptionem illam reddis tuam tibique propriam, atque ex ea auferturr quidquid in ea prior poſſidebat dominus, & tantum in ea remanet quod tui Dominij & iuris eſt. Vt oſtendas hanc eſſe tibi propriam, ad portam ſiue frontiſpicium affigis arma tua ſeu inſignia familiæ omnibus manifeſta: q. d. Domus hæc & quidquid in illa eſt, eius eſt dominij cuius hæc ſunt inſignia. Homo domus erat à diabolo poſſeſſa